Nobilissimo Domino,
Constantino Hugenio Zulichemi Domino,
C. Barlaeus S. P. D.

Vide, mi Hugeni, quam feliciter tibi cesserit audacia tua, aut ut mitius loquar, τὸ ἀξενοία. Tessela minus aequo animo videtur accepisse responsponem tuam. rotundius enim respondisti me. nec mirum. tuas quippe offensas placabiles puto, meae implacabiles forent. Etiam viduae, prout dominae sunt, iras cereas vel plumbeas gerunt. Dant veniam corvis, columbas censurâ vexant. Non respondet tibi, verùm apographum responsi tui ad quaestionem sacram misit ad Satrapam, ut amariore hac potione quartanae suae mederetur. Etenim solitus est Satrapa vomicas Pontificias acriore apud illam scalpello pertundere et sale non fatuo perfricare. Quare astutissima illa, ut se de duobus ulcisceretur, una fidelia duos parietes non dealbavit, sed denigravit. Mitto, quae scripsit Satrapa. Ego, nescio quo fato, inter has tabulas salvus enavigo. Dies tuos sacros, opus divinissimum, tradidi in manus Hooftiae, quae summa veneratione illos excepit, praesentibus Consule vander Meyde, Parrio Satrapae genero, Schuylio et Rycharto Hooftiae affinibus, qui licet omnes in chartas tuas involarunt. Illa verecundo rubore pingebatur, cum acciperet grande hoc Christiani affectus pignus. Dicam sententiam. Versus sunt venustissimi, gravissimi, acutissimi & sanctissimi. Non in atramentum, sed ipsum Pietatis succum tinxisti calamum. Non dicis obvia et millies in templis decantata, sed tibi οἰκεῖα, hoc est, non dicta prius. Curabo hic imprimi

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 163
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3872

charactere augusto, prout exigit argumenti
maiestas. Specimina sive Probas ut vocant,
non erit necesse Hagam mitti. Hoofdius illa meum
leget attentius. Videmur enim assequi mentem &
acumina tua. Ego ero editor & fulgebo tua
luce. Praefabor ad lectorem Jambis, quos heri
fudi. Perge pro tuo in me iure imperare, cum
tibi morem gerere, dominij, libertatis, gloriae ac
dignitatis speciem interpretor. Quartanam Hoofdij
discussit Capricornus. Epigramma in Heynsij
lectulum, tuum est. nihil addo. licet convenientius
fuerit, inter libros vigilare dominum, quam dormire.
Epigrammata in templi nri conflagrationem ipsis
flammis magis lucent. non tamen ausim Romanam
accusare combustionis istius, quae negligentia
illorum accidit, qui plumbea tecta reficere solent.
Vale Vir Nobilissime et scribe saepius, memor.
Cras altera mittam. Salutem à me filijs tuis.
Amstelod. xvii Jan. Ao CIƆIƆCXLV.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 163
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3872

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 163
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3872